



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 32. Achmetis Turcarum Imperatoris literæ ad Mathiam Hungariæ
Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

nianæ, typis editam sub nomine Cyrilli Pa- Sæc. XVII.
triarchæ Constantinopolitani anno 1633. A. C. 1614.

Postea Cyrillus unacum articulis suæ confessionis a Bereensi Episcopo anathemate percussus, & a Meletio Syrigo Doctore, aliisque confutatus, ob Calvinihæresin a Græcis dire vexabatur. Arminiani igitur duntaxat de Cyrilli tanquam apostatæ patrocínio, non autem de Ecclesiæ Græcæ suffragio gloriari poterant.

§. XXXII.

Achmetis Turcarum Imperatoris litteræ ad Mathiam Hungariæ Regem.

Hic idem annus Domini millesimus *Petr. Reus*
 sexcentus decimus quartus *de Monarch.*
 ventuum diversitate, ac turbarum mul- *Hung.*
 titudine, si quis alius præcedentium, *cent. 7.*
 non minus varius, quam funestus erat. *Merc. Gall.*
 Præprimis vero belli flammam, quæ *tom. 10. l. 2.*
 per pacem inter Christianos Principes, *Ortel. con-*
 & Turcam Zitwatorockii initam in Hun- *tin. p. 48.*
 garia paulo ante extincta videbatur,
 Bethlenius Gabor rursus sufflare moliebatur; cum enim Cæsarei quædam
 Transylvaniæ oppida prius inique erepta occuparent, Bethlenius confestim
 Achmetem Turcarum Imperatorem hac de re certiolem reddebat, qui nulla
 mora

Sæc. XVII. A. C. 1614. mora literas minis graves ad cunctos Transylvaniæ Ordines perscripsit, Mathiæ vero Cæsari per legatum significari præcepit, quod nullam de Transylvania amplius mentionem faceret, ac de ea ne cogitaret quidem, sed eam sibi relinqueret, belli jure & proprio peculio acquisitam: propugnacula vero in superiori Hungaria Bethlenio redderet. Habebantur adhuc Pofonii comitia, in quibus Georgius Thurso Regni Palatinus Cæsaris mandato, quid Achmeti respondendum, Hungariæ Ordinibus proposuit, demum re, ut par erat, maturo consilio sæpius discussa, quosdam Proceres Lintzium ad Mathiam Hungariæ Regem decrevit, qui quemadmodum unanimi suffragio hoc negotium fuisset conclusum, eidem significarent: Hi ergo ad alloquium admissi hæc Regi exponebant: *Turca perfidus non servabit pacem, & periculum est manifestum, ne aliquo quæsito colore, ut jam sæpius factum est, vocatus, Transylvaniam provinciam arte & natura munitam, invadat & occupet, qua obtenta, nullo labore, etiam absque Asiaticis copiis quocunque tempore in regnum irrumpere potest. Hæc prævenire, ne accidant, sapientis est. Irritare autem potentio rem hostem, summa est temeritatis. Non semper enim bellam justam de causa suscipienda sunt. Magna*

res est, deliberationem lentam postulat, si- Sæc. XVII.
quidem fortuna illius semper ancipiti stat A. C. 1614.
loco; neque in unius potestate belli finis &
initium est; metienda igitur sunt tempora,
hostium vires, & apparatus diligenter per-
pendendi, comparandæ nostræ vires, vis
fortunæ communis animo volvenda.

Sic ergo cum Barbaris nostro tenui ju-
dicio procedendum: literæ per hunc Lega-
tum Turcicum scribendæ ad Ottomanicum
Principem, postea Rex noster, ad illum
quosdam gentis Hungaricæ & vicinorum
Regnorum destinabit Legatos, per quos ad
singula puncta & clausulas in literis ejus
contentas responsurus esset. Serio interim
admonendus erit, ut ab excursionibus &
violentiis, quibus publica pax turbatur, ab-
sineat, & suos abstinere faciat, quod a
parte nostra fideliter præstabitur, tum etiam
Oratores illi omnia gravamina & violen-
tias contra pacem patratas declarabunt,
easque in Ottomanica porta exaggerantes
pro prudentia sua exprobrabunt, in id vel
maxime intenti, ut pacis continuatio etiam
de cetero conservetur & stabiliatur. Sic
de statu quoque Transylvanicæ Commissarii
Hungari in certum aliquem locum, præce-
dente præsertim Transylvanorum postula-
tione, cum plena potentia pro præsentibus
negotiis componendis, per Regiam Majesta-
tem expediendi erunt, qui restinctis quibus-
vis novi belli, aut intestinorum odiorum
Hist. Eccles. Tom. LV. S fomi-

Sæc. XVII. A. C. 1614. fomitibus, negotium omne cum Transylva-
 nis ita componant, ut tam hujus regni,
 quam ipsius provinciæ salus permaneat, om-
 nisque via, unde huic regno & ipsi Provinciæ
 exitium evenire posset, tollatur, Legatio-
 nis ad Sultanum continuato curriculo: si
 vero idem iniquas condiciones proponeret,
 & per eas pacem rumpere comperiretur, in
 eo casu Hungari vestigia prædecessorum suo-
 rum sequentes, cum confæderatis provin-
 ciis, juxta leges eorum simul vivere & mori,
 & hosti manifesto sese opponere non præ-
 termittent, præstabuntque, quod fideles bo-
 nosque patriæ cives decet, modo sua Majes-
 tas sic peractis cum Sultano & Transyl-
 vano legationibus, reportatisque utrinque
 responsis, & intellectis aliis, quæ sub his
 Legationibus accidere possunt, comitiis in-
 dictis, cum fidelibus Statibus & Ordini-
 bus Regni communicare clementer dignetur.

§. XXXIII.

*Regis, & Hungariæ Ordinum re-
 sponsio ad Achmetis literas.*

*Reva l. c.
 Pann. nova
 & vetus.
 Ortel. contin.
 pag. 50.*

Placuit Regi hoc Hungarorum consi-
 lium, quocirca una omnes in hanc
 descendebant sententiam, ut priusquam
 belli alea foret experienda, res consi-
 lio decerneretur; collatis igitur suffra-
 giis, die vigesima septima Maji Sulta-
 no hoc modo responsum est: *Meminit*
qui-